

**Disputatio inauguralis de vitiis variis genu, quaedam pathologica  
complectens / [James Simson].**

**Contributors**

Simson, James, 1795-1876.

**Publication/Creation**

Edinburgh : [publisher not identified], [1816]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/zns44jvc>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

16

DISPUTATIO  
INAUGURALIS  
DE  
VITIIS VARIIS GENU,  
QUÆDAM  
PATHOLOGICA  
COMPLECTENS.

---

*Auctore JACOBO SIMSON.*

---

PRÆFANDA.

VITIA quæ, corpore aperto, sese patefaciunt, fundamenta sunt certissima, quibus ars medicinalis, sine dubio nititur; et maxima commoda ex hoc fonte esse oritura, facile patebit, si modo, progressum qui, tempore brevi, in pathologia diversorum morborum et sanatione factus fuit, attentione debita, corpore secato, contemplemur. Sed malorum cunctorum, quæ forsitan

A

nuper

[1816]



nuper depicta fuerunt, nullum existit, cujus scientia magis feliciter investigata est, quam morbidarum affectionum articulorum, præsertim a Domino BRODIE,\* nuper instituta. Nomine hydarthro (Anglice, white-swelling) varios articuli morbos monstravit confusos fuisse, quæ, cursu non modo indicia dissimilia, et aspectus diversos, genu aperto, exhibent, sed curationis modos discrepantes etiam postulant. Ea vitia in disputatione sequenti, quæ in genu articulo apparent, et hydarthrum vulgo appellantur, delineabo, et Dominum BRODIE, quam maxime possum, sequar.

## DE INFLAMMATIONE MEMBRANÆ SYNOVIALIS.

INFLAMMATIO quæ membranam Synovialem adurit, duplex est, acuta nimirum, et chronica; posterior multo magis frequens, et periculosa.

CHRONICA.—

---

\* Medico Chir. Trans. vols. iv, v, vi.



CHRONICA.—Chronica leni dolore, et rigiditate totius articuli, motu vel pressura auctis, incipit. Postquam per dies duas vel tres dolor duraverit, genu tarde gradatimque tumet, et maxima ex parte qua minime renititur, scilicet articuli parte inferiore, aut inter patellam et ligamenta lateralia; cutis non est decolorata, et febris minima, aut nulla adest. Primo, fluctuatio tumoris est manifesta, quæ ab synoviae effusione nimia oritur; sed post aliquod temporis, inflammatione manente, tumor vi resiliendi præditus est, et fluctuatio minus evidens fit, membranâ synoviali densata, et utrinque lymphâ effusâ. Mala indicia interdum evanescunt, et genu debilitatum, et amplificatum relinquitur, quod id reddit obnoxium malo, causa excitante denuo admota. Inflammatione imperite tractata, tumor augetur, cutis non multum mutatur, ceteræque partes articuli morbo involvuntur. Demum crus et femur marcescunt, fluctuatio in aliqua parte articuli evidens est, abscessus gignitur, rumpitur, et pus ejicitur. Valetudo ægri postea afficitur, vires diminuuntur, facies palescit, appetitus deficit, somnus

somnus adimitur, cito diarrhœa, sudoribus nocturnis, et rigoribus, cruciatur, et brevi, in “ æternam clauduntur lumina noctem.”

ACUTA.—Quum inflammatio acuta sit, dolor et teneritas, quam in specie chronica, graviores sunt, paucis a mali ortu horis aliquando incipientes, cutis decoloratur, citius tumefactio accidit, interdum febris ardens adest, et motu dolor multum ingravescit; et hæc affectio brevi tempore decedit, aut in speciem chronicam jam descriptam vertitur.

Raro, articulos in hoc morbo, tam mature possimus obtinere, ut primariam affectionem de tegere valeamus; quia amputatio, donec articuli structura, aliis morbis accedentibus, multum mutata fuerit, procrastinata est. Initio hujus morbi, aliquos articulos Dominus BRODIE scrutatus est, et articuli partes omnes bene se habuerunt, membrana synoviali excepta, quæ sæpe dilatata, et lividum colorem, ab inflammatione, adeptæ est. Vasa plurima, sanguine turgida, membranæ



branæ huic in textura densatæ, et quasi in cartilaginem versæ, partibusque aliis articuli lymphæ coagulante sæpe inhærenti, insunt.

### DE MEMBRANÆ SYNOVIALIS VITIO.

Hic morbus juvenes fere aggreditur, et sine ulla causa manifesta, sæpe oritur; aliis temporibus ex inflammatione sæpe prægressa, originem trahere videtur. Levi tumore, et rigiditate articuli incipit, sed sine dolore, etiamsi artus moveatur. Ab initio tumefactio tardissime augeatur, et post aliquod temporis, amplam molem acquirit, motumque articuli, etiamsi dolor adsit parvus, valde impedit. Tumor, ad unam, magis quam ad alteram partem prominet; sed tamen magnus, et rigiditas maxima est, non fluctuat, sed tactu mollis, et vi resiliendi præditus, sentitur. Crus partim flectitur, et non extendi potest, dolor levis est, donec formantur abscessus, quo tempore ingravescit. Prorumpunt abscessus, et pus exigua quantitate profluit; ulcera

ulcera prompte conglutinantur, sed fere iterum patent, et denique, vires corporis gradatim fractæ, amputationem necessariam reddunt.

Sectione facta, membrana synovialis admodum morbida invenitur, in materiam mollem fuscique coloris mutata, et funiculis membranaceis coloris albi intersecta. Interdum vasa rubra super membranam sæpe densatam, interdum usque ad pollicis amplitudinem, germinant. Membrana modo partim, modo omnino vitiatur, et in cavitatem articuli tendit; et in hac membrana, aut in articuli cavitate, abscessus sæpe inveniuntur; et maculæ ulceratæ sæpe adsunt.

#### DE CARTILAGINUM ARTICULI UL- CERATIONE.

ULCERATIO cartilaginum, quanquam in gradu provento vitiorum pristinorum accidat, tamen morbus sæpe primarius est: sed articulum coxæ sæpius, quam genu, aggreditur, et circiter mediam



diam ætatem, aut juventutem, obvenit. Genu articulus hoc morbo correptus, dolore levi, primum afficitur, quiete levato, sed exercitatione aucto, sensimque, sed tardissime, ad cruciatum summum augetur. Sæpe ad partem internam genu, aut tibiæ caput, dolor refertur; sed cum gravior sit, per articulum diffunditur, et per noctem intenditur. Postquam per aliquod temporis dolor duraverit, tumefactio levis et rigiditas superveniunt (telæ cellulosæ inflammatione, et effusione, forsitan orientes); quæ tamen ad magnam molem nusquam crescunt; et tumefactio articuli figuram induit, neque fluctuationem, neque vim resiliendi, præbens. Vitio per aliquod temporis perstante, haud raro synovia in articuli cavum effluit, aut abscessus, subinde fluctuationem indicans, gignitur: autem tamen, si nullum vitium, nisi ulceratio cartilaginum, adsit, fluctuatio non percipi potest. Dolor primo levis, postea sævissimus et constans fit, et motu ingravescit; et si vitium diu permanserit, et ulceratio sit magna, tibiæ caput deorsum detorquetur. Aliquando signa, antequam diu perstiterint,



terint, evanescunt, et anchylosis sequitur; at-  
tamen hoc est rarum, et etiam cum accadat, ex  
levissima injuria malum recrudesce proclive  
est, abscessus denuo enascuntur, vires labefa-  
ciunt, et amputatio nobis unicam spem vitæ  
præbet.

In exemplis, non diu perstantibus, genu ex-  
ciso, et scrutato, cartilaginis fabrica sæpe mu-  
tatur, et in materiam mollem fibrosamque con-  
vertitur, cujus una finis in articulo natat; in  
aliis partibus, præsertim marginibus ossis tibiæ,  
cartilagine delentur. Morbo progrediente, car-  
tilagines ab ulceratione multum corrumpuntur,  
ossaque subjacentia ulcerantur, et colore sub-  
fusco, sed non aliter mutata; illa etiam lymphæ  
sæpe oblinuntur, cujusque copia in telam cellu-  
losam haud raro elabitur. Abscessus, membra-  
nam synovialem aut ligamenta aliqua ex parte  
corrumpentes, in articulo, sæpe inveniuntur; et  
in quibusdam exemplis, si morbus diu perstite-  
rit, omnes partes articuli, eandem sortem sub-  
eunt.

DE

## DE OSSIUM CAPITUM ULCERATIONE.

HÆC affectio, quum quos, notas prædisponentes strumæ habentes (scilicet, oculos cœruleos amplos, faciem formosam, labiumque superius tumidum), maxime adoritur, articulorum ossium strumosa vulgo habetur. Initio hujus morbi, dolor interdum gravis, plerumque vero obtusus, exedens, et profundus est; pressura haud auctus, et ad partem unam, sæpe ad tibiæ caput, fixus. Primo tumor nullus est, licet artus debilitas sit summa. Indicia omnia interdum evanescunt, morbique nullum vestigium manet; nihilominus ulla sine causa manifesta sæpe recrudesceat. Postquam hæc indicia per aliquod temporis duraverint, tumor inflatus, vi resiliendi præditus, fere ad patillæ latera oritur, et seri lymphæque coagulatae effusione originem trahere videtur. In statu morbi proVectiore, quamvis dolor plerumque levis, attamen tumor major, œdematosus, et rotundus est, et cutis



pallida et nitens. Abscessus oriuntur (dolore non ingravescente), erumpunt, et pus coagulatum coloris subflavi profluit; et si ad amputationem non confugimus mors brevissim eægrotum rapit.

MORBI hujus primordio, articuli partes omnes integræ inveniuntur, capitibus ossium exceptis, quæ exulcerata, molliora, et vasis pluribus, quam in statu sano, instructa; scalpello facile secantur, et calcis quantitatem minorem, quam in sanitate, continere videntur. Ossibus minus firme periosteum adhæret, et in cancellis, pus coloris subflavi, et coagulatum, detegitur. Vitio progrediente, tela cellulosa cum lymphâ coagulata refertur, delentur cartilagines, et fistulæ, pus coloris supra dicti continentes, articulum penetrant.

In nonnullis, decursus intra paucos menses expletus, in aliis, haud ante annum secundum, aut tertium finitus est.

## CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

SINE dubio, scrofula his vitiis ansam præbet. Similitudo tumoris (præsertim in ossium ulceratione) tumoribus scrofulosis in aliis corporis partibus, et quia homines strumosos maxime aggrediuntur, et in regionibus strumæ faventibus grassantur, sententiam hanc verisimilem reddunt. Rheumatismus et inflammatio, causæ prædisponentis officio sæpe funguntur; nam post impetus horum iteratos, illa genu vitia oriri videmus. Mutationes cœli subitæ, ad has affectiones multum conducunt, nam in regionibus, mutationibus cœli repentinis, subjectis, vitia illa frequentissime oriuntur. Frigus, humiditasque, aër impurus, victus pravus, postremo omnia fere quæ corpus vehementer infirmant, causæ prædisponentis munere fungantur.

CAUSÆ



## CAUSÆ EXCITANTES.

FRIGORIS et humoris corpori applicatione, illa mala induci possunt. Vis genu extrinsecus illata, denique omnes articuli inflammationis causæ, hos morbos excitent, scilicet, collisiones, vulnera, luxationes, ambulatio diu protracta, lapsus, fracturæ articulo vicinæ, hydrargyri usus vel parum idoneus vel diuturnus.

## DIAGNOSIS.

DE varietatibus inter vitia, antehac descripta, disserendi hic non locus est; tantum erit necessarium, in diagnosi statuenda, ut dolorem sive sævum sive lenem, tempusque quo evenit, figuram tumoris, sive ante dolorem aut postea accidit, et decursum mali, notemus.

Nunc de differentiis vitiorum tractabimus.

**ARTICULI INFLAMMATIO.**—In hoc vitio cutis plerumque præter solitum rubescit, et partes læsæ tument et calent; tumor tensus est, febrisque ardens urget, et vitium, ex injuria extrinsecus illata, fere semper originem ducit.—*Humor*, sive intra, sive extra ligamentum capsulare situs, pro malorum aliquibus jam dictorum haberi potest. Quum humor in membrana cellulosa infra cutem jacente cohibetur, anasarca generalis fere comitatur; aut si non sic comitatus, ab impetu inflammationis erysipelatosæ, vel phlegmonoideæ, ortum trahit; vestigia digitorum explorantium retinet, totum articulum raro cingit, et fluctuatio quasi superficialis sentitur.

**ARTICULI HYDROPS.**—Hoc malum, vel ab actione exhalantium aucta, vel actione absorbentium imminuta, oriri potest. Quum accidit, plerumque parum doloris comitatur, et nulla rigiditas ligamentorum adest, motus articuli sine dolore perficitur, et fluctuatio satis manifesta est; quum tumor uno latere percutitur, impul-

sus



sus altero percipitur, patella moveri potest, et a pressura humoris sursum surgit; tumefactio pro motu articuli variat, et patella depressa, utroque latere humor prominet.

**CUMULATIONES IN BURSIS MUCOSIS.**—Bursa mucosa cum humore distenta, plerumque circumscripta est, tumorque mollis, et sub motu cruris parum doloris sentitur.

**CONGESTIONES SANGUINIS.**—Cum morbis de quibus agitur, vix confundi possunt, tum quod plerumque subito eveniunt, et fere, ex injuria locali articulo admota, proveniunt; etiam cum quibusdam signis hydropis articuli comitantur.—*Aneurisma Poplitis*, initio sine dolore est, et pulsatio, sub pressura evanescit, sed hac remota denuo reditura.

**RHEUMATISMUS.**—Sæpe difficillimum, si non impossibile est, rheumatismum ab ulceratione cartilaginum dignoscere, quod hæc sæpe impetu iterato illius nascatur. In rheumatismo  
tamen

tamen cutis plerumque decolorata est, tumor et dolor, raro ad unum articulum pertinent, sed ab uno ad alterum transit, aut in articulis diversis, uno tempore, adest. Febris rheumatica quoque urget, et cum rheumatismo articuli tumefactio eveniat, dolor sæpe minuitur, quod in cartilaginum ulceratione, nunquam accidit.

COXARIUS MORBUS.—In limine dolor ad genu sæpe sentitur, quæ e coxa, per vastum musculum externum ad genu percurrit; artu indagato, longior altero invenitur; nates minus rotundi, quam in sanitate sunt; dolor in acetabulo percipitur, et trochantero majori presso, crudeliter ingravescit.

### PROGNOSIS.

QUAMVIS in exemplis quibusdam, vitio in longum protracto, dolor evanescat, tumor minuat, et anchylosis sequatur; tamen hoc rarum, et malum naturæ commissum fere exitium ægro affert.



affert. Si tamen, vitio adhuc recenti, ad remedia apta confugimus, vitium vel partim, vel penitus, sæpe solvitur. Exitus remediorum felices pro adpectu morbi et progressu multum pendebunt.

In membranæ synovialis inflammatione, curationis spes, remediis idoneis mature adhibitis, maxima est; vero mutatione membranæ synovialis morbida facta, prognosis a priore discrepat, quum raro, si unquam, malum curatur, et sæpe indicia mala non sunt levanda. In cartilaginum ulceratione, eo quod plerumque indicia mala eradicare possimus, bene de eventu existimandum. Opinio nostra in ossium carie caute dicenda est, enim, quanquam exitus interdum felix, spes sine causa ulla manifesta sæpe frustantur. Plerumque tamen si æger juvenis, et habitus corporis bonus est, quum suppuratio nulla adsit, symptomata lenia, et a vi extrinsecus illata morbus originem duxit, iudicium benignum esse debet. Contra, si æger ætate provec-  
tiori, status corporis debilis, indicia vehemen-  
tiora,



tiora, et pus formatur, in prognosi statuenda cavere nobis oportet; et si ulcus sit, cum osse carioso communicans, artum conservandi spes parva vel nulla restat. Interdum, rebus ita se habentibus, remedia quæ in uno curationem efficiunt, in alio nihil prosunt; omnes conatus frustra adhibentur, et artus excisio ægro spem unicam vitæ præbet.

### MEDENDI RATIO.

In horum morborum tractatione, artus quies summa maximi momenti est; quum sine quiete omnes conatus inutiles erunt, causâ morbi primariâ motu auctâ.

### MEMBRANÆ SYNOVIALIS INFLAMMATIO.

CHRONICA.—Sanguinis detractio e loco in hujus morbi specie chronica, summi momenti  
C est,



est, et ad eam cito confugiendum est : mittatur sanguinis  $\text{℥xii}$  vel  $\text{xiv}$ , ferrum cum cucurbitulis imponendo, aut hirudinum applicatione, prout signa postulaverint. Nonnulli, cute tensa et inflammata, hirudines anteponunt; cucurbitulis tamen sæpius utimur, eo quod facilius admoventur, et effectus citius præbent, tum quod hirudinum applicatione sæpe excitatur tumefactio molesta, aliorum remediorum usui inimica. Cum sanguinis detractio, ratio antiphlogistica rigide observanda est; fomenta calida frigidis præstant, et multum proficiunt. Alvus medicamentis refrigerantibus solvenda est, et prout opus sit, detractio sanguinis repetenda. Vesicatorium, quod tumorem sæpe summovet, genu applicari debet, et si opus sit, applicatio iteranda. Si inflammatio et irritatio his remediis superatae sunt, linimenta olei terebinthinæ et ammoniæ, aut ex acido sulphurico, et oleo olivari composita, ad rigiditatem summovendam adhibentur, ea quantitate quam indicia postulant. Sed etiam iis, quibus curatio facta est, per tempus aliquod paululum infirmitatis rigiditatisque



giditytisque manet; in hujusmodi exemplis, emplastrum gummi ammoniaci, et acetæ scilicet compositum, artum firmare, et frigori hanc affectionem, sæpe excitanti, obstare, admoventum sit. Eger nunc leni exercitatione utatur; frictioque, sed cautissime ne inflammationem excitet, adhibeatur.

ACUTA ac chronica similiter tractanda est; remedia tamen quam actuose adhibenda, et exempla quædam detractionem sanguinis generalem postulent.

#### DE MEMBRANÆ VITIO.

IN hoc malo, curationis spe levissima, tamen non desperandum est, sed contra indicia mala, summa cum cura pugnandum. Sanguinis detractio localis, dolori gravi multum proficit; et in tumefactione molestiaque amovendis vesicatoria summi momenti sunt; quidam vesicatorium uno lateri genu laudant, et hoc fere sanato,

aliud



aliud alteri admovent, quod prout opus fuerit repetendum, ita ut irritationem assiduam excitet. Alii vesicatorium magnum genu applicatum, et medicamento corrosivo apertum servatum, plus prodesse putant, detractioe hoc modo cum irritatione conjuncta. Unguentum epispasticæ humoris detractioem amplam servabat; sed quia irritationem magnam, haud raro etiam urinæ reddendæ difficultatem, excitat, non semper utendum est. Unguentum sabinæ detractioem, et sine prioris malo, abunde præbet, ideoque semper uti debet. Unguenti vis pro effectibus ejus, aut augenda, aut imminuenda est. Plerumque tamen ad hujusmodi auxilia frustra decurritur, et artus excisio necessaria fit.

### CARTILAGINUM ULCERATIO.

In hujus mali tractatione, fonticuli e caustico parati a Domino BRODIE multum laudantur; et potassæ applicatione, omni tertio vel quarto die, apertos servari jubet; quia ex irritatione

potius



potius quam detractio humorum commodum oriri existimat. Cura summa in eis faciendis tamen adhibenda est, nam cute tenuissima, et caustico super articulum applicato, ulcera ex iis nata, cum cavo articuli aliquando communicant, quod haud raro exitum funestum fert. Ad margines condylorum femuris, causticum applicandum, et ulcus potassa apertum servandum est. Vesicatoria, ut jam descripta, in hac affectione multum proficiant. Frictio, quæ in ossium ulceratione fructum præbet, in hoc malo minime prodest. In tractatione, si oriatur dolor, aut irritatio noceat, sanguinis detractio localis magni momenti est.

### OSSIUM ULCERATIO.

SANGUINIS emissio localis, in hoc malo raro necessaria est, sed dolore ingravescenti, effectum bonum habeat. Ex fonticulis, tamen, et vesicatoriis, ac in morbo jam dicto admotis, spes summa collocanda est. Frictio sola, aut cum materia



materia oleosa conjuncta, in hoc vitio multum profecit; frictio per spatium semihoræ continuanda, et bis aut ter in die, repetenda est: artus, frictionis intervallis, lanula involvendus est. Vis electrica nonnullis multum laudata fuit, sed nunquam, nisi in specie chronica, prodest, et sæpe etiam nocet. Aër maritimus ad sanitatem generalem, ægro multum debilitato et habitu corporis labefactato, restituendam haud parum valuit, sed morbum localem non emendavit.

Quidam in hoc malo abscessus patefaciunt; pauci tantum, hoc consilium sequuntur, quod, ut experientia sæpe docuit, ægrum non levat, sed inflammationem et ulcus naturæ phagidenicæ excitat. Etiam cum ulcera sese ostenderunt, ea ampliemus non oportet, ne inflammatio febrisque supervenerint. Cum omnes conatus nostri nihil proficiant, et indicia ingravescant, tum ad vitam ægri servandam, artus excisio necessaria fit. Tempus ad id aptissimum statuere, maxime interest; nam si intempestive, amputare,



amputare, non solum crudele, sed etiam periculosum est. Contra si, nimia artum servandi sollicitudine, vires ægri ante artus excisionem adeo frangi permittamus, ut mors non vitanda, reprehensioni dignissimi sumus. Nihil ideoque majoris momenti est, quam ad tempus artum excidendi aptissimum cognoscendum. Itaque quamvis genu ad molem magnam creverit, et omnia signa localia infaustissima, nihilominus, si vires non multum conquassatæ sint, crus removeamus non oportet, quoniam ad crus excidendum, indicia generalia omnino nos dirigunt; enim, etsi omnes notæ locales infaustissimæ aliquando appareant, vitium solutum fuisse novimus; dum, contra, viribus ægri multum labe factatis, desiderio cibi fugiente, et rigoribus sudoribusque nocturnis vexantibus, si in hac rerum statu artus amputatio male posthabeatur, brevi de ægro actum est. Cum, itaque, signa hujusmodi evenerint, diathesis phlogistica adeo multum frangitur, ut inflammationis, saltem gravioris, post artus excisionem supervenientis, vix metus sit.





THE  
JOURNAL OF THE  
AMERICAN MEDICAL ASSOCIATION  
PUBLISHED WEEKLY  
CHICAGO, ILL.  
1917

AMERICAN MEDICAL ASSOCIATION  
JOURNAL

CONTENTS  
ORIGINAL ARTICLES  
SYMPOSIUM  
DEPARTMENTS  
NOTES  
CORRESPONDENCE  
OBITUARY  
ANNOUNCEMENTS  
INDEX



